SCRIPTURÆ SACRÆ LEGITIMO INTERPRETI,
APOSTOLICARUM TRADITIONUM SECTATORI TENACISSIMO,
SACRÆ ROMANÆ ECCLESIÆ DEFENSORI ACERRIMO,
OECUMENICORUM CONCILIORUM MAGISTRO,
OMNIUM PATRUM DOCTISSIMO, SABELLIANORUM, MACEDONIJ, Pelagianorum, Maniqueorum, Donatistarum, uno verbo, universali Hæreticorum malleo, cujus ingenium propé divinum mira subtilitate pollet, cujus profunditas ità Sapientum ingenia mulcet, ut maximam eruditionis, criticæs, & omnis doctrinæ copiam in suis operibus comparaverint, cujus sapientia talitèr heterodoxos perstringit, ejusquè sophismata diluit; út vel Oraculum & Magistrum Ecclesiæ Summi Pontifices declaraverint



¿SED QUISNAM EST HEROS CUI TANTA ENCOMIA SUBSUNT?

SANCTISSIMUS PATER NOSTER AUGUSTINUS

HIPONENSIS IN AFRICA EPISCOPUS, D.r ECCLESIÆ;

GRATIÆ AB INTRINSECO EFICACIS EXTREMUS VINDEX, AUGUSTISSIMÆ SANCTÆ TRINITATIS MYSTERIJ PROPUGNATOR GLORIOSUS: quem ut specialissimum Parentem & Magistrum Religio Fratrum Prædicatorum toto corde, àc mentis affecctu veneratur & colit, cujusqué doctrinam tali insequitur devotíone, àc fidelitate, ùt nèc jota unum aùt unus apex ab illa prætereat; pro quaquè tuenda sempèr & pro sempér & pugnavit & vicit. Nam gloria & ornamentum hoc Dominicanis immortale est suum Angelicum Præceptorem D. Thom. Aquinatem fidelissimum per omnia Augustini discipulum ex amenissimo suorum operum Viridario velùt ex fonte nitidissimo suam omnem doctrinam enucleasse.

HUIC ERGO SANCTITATIS & SCIENTIÆ MIRACULO SUBJECTAS

THEOLOGICO-HISTORICO-DOGMATICO-SCHOLASTICAS

PROPOSITIONES DEFFENDENDAS SUBMISSA PIETATE NUNCUPAT

D. ANTONIUS SOLIS & SUAREZ.

FAUSTISSIMO NOMINE AC NUTU INDULGENTISSIMO SUI PATRONI MUNIFICENTISSIMI

ILL.MI AC R.MI D. D. JOSEFI ESCALZO ET MIGUEL,

QUI NOBILITATE GENERIS INSIGNIS, INSIGNIOR MORUM INTEGRITATE, AC MAXIMO INGENIJ ACUMINE IN MAJORI SANCTÆ CRUCIS Vallisoleti Collegio cöoptatus, scientijs ecclesiasticis ascitus, àc utriusque juris studio sedulò incumbens, mirum eruditionis incrementum comparavit. Adhùc juvenis diversa Episcopatus Pampilonensis munia ecclesiastica fideliter explevit; indè Abbas insignis Collegiatæ de Zenarrusa in Diœcesi Calagurritana, quæ est suprema dignitas, effectus; vigessimo tertio ætatis suæ anno nondùm expleto Vicarius Gener. àc Gubernator Archiepiscopatus Cæsaraugustani communi plausu est renuntiatus; idem munus cunctorum admiratione mira dexteritate àc prudentia obivit in Asturicensi Diœcesi; cujusquè Ecclesiæ Apostolicæ Cathedralis dignitate Canonicatus insignitus, velùt exemplum bonorum operum omnibus & in omnibus enituit; sed ad majora natus, S.Inquisitionis Præfecturam integerrimè & per plures annos Juliobrigæ exercuit; deindè ad Præfecturam itidem ejusdem S.Inquisitionis Tribunalis Cæsaraugustæ elevatus, successivé ad presidentiam Inquisitionis, vulgò de Corte, promotus: tandèm Consiliarius Supræmæ S.Generalis Inquisitionis Regij-Senatus collocatus, & Dignitate Archidiaconatus de Culla Ecclesiæ Cathedralis Dertusæ prenominatus, haùd facilè est hominis sivè ingenium, sivé prudentiam, sivè moderationem in dificillimis & gravissimis Status & Religionis negotijs edissere. Sed ¿quid indè? Gratia Dei & Sedis Apostolicæ dignatione, adquè gloriam & decorem hujus Gadicensis Diœcesis, disciplinæ Ecclesiasticæ restaurationem, & amplitudinem, & multorum beneficiorum (quæ in die experiuntur & experientur) munificentiam, Præsul noster dignissimus est designatus. Faxit Deus eum diutiùs incólumem Ecclesiæ, Statui, & Nobis conservare.

Unicum Assertum diebus 2. 8. & 16. Mensis Maij mané & vesperé defensandum.

CUm Mysterium Sanctissimæ Trinitatis sit Fidei Catholicæ spirituale ædificium indequè sumat exordium; ratio doctrinæ postulat ut originem sive processionem Divinarum Personarum expendamus. Quaproptèr firmitèr inhærentes doctrinæ Magni Parentis N. Augustini, deffendimus cum suo assecla Angelico N. Præceptore D. Thoma Aquinate sequentes Articulos Primæ Partis suæ Summæ. Quest. 27.

1. ¿Utrum Processio sit in Divinis ¿ Resp. affirmativè.
2. ¿Utrum aliqua Processio in Divinis generatio dici possit? Resp. affirmative.
3. ¿Utrum sit in divinis alia Processio á generatione Verbi? Resp. affirmativè.
4. ¿Utrum Processio amoris in divinis sit generatio? Resp. negativè.
5. ¿Utrum sint plures Processiones in divinis quàm duæ? Resp. negativè.

§. II.

NIl Theologo utilius si velit ut juris est erga adorandum mysterium Trinitatis *erudiri, quàm Historiam Ecclesiasticam de hoc ineffabili arcano* tractantem *adamusím exquirere; idèo nos, ut huic salutari fini operam demus,* historiam primi generalis Concilij Nicæni in Bithinia celebrati, sequentibus propositionibus ex N. Natali Alexandro ecerptis ad Sæcul. 4. dilucidamus. 1.a Nicæna Synodus convocata est à Constantino Imperatore; inferri tamen ex hoc non potest authoritatem convocandi concilia œcumenica non pertinere ad Romanum Pontificem. 2a Nicæno Concilio præfuerunt Ossius Cordubensis Espiscopus, Vit. & Vincen. Præsbyteri. 3.a Niceni Patres consubstantialitatem Patris & Filij rectè sunt professi, eamque vocem *Homousion* fidei Symbolo apposité & prudentèr addiderunt. 4.a Eusebius Nicomediensis, Theognis Nicænus, cæterique Arianarum partium Episcopi, Nicænæ fidei Symbolo, & Arij damnationi atquè abdicationi subscripserunt; rejicimusquè & ut apocriphum refutamus Libellum pœnitentiæ & retractationis à Sócrate relatum. 5.a Arius á Nicæna Synodo susceptus non est; sed miserè semper & contritus jacuit extra Ecclesiam. 6a Eusebius Cæsariensis Episcopus non solum Arianus, sed jure Arianorum Princeps dictus est. 7a Viginti dumtaxat Canones á Synodo Nicæna èditi sunt.

§. III.

AUthoritatem SS.PP. quam Hæretici de gradu dejicere moliuntur, M.P.N. Augustinus lib.1. Cap. 3. adversus Julianum invictissime propugnat; eorundem enim talis dignitatis est in expositione sacrarum litterarum, inque Mysteriorum Fidei declaratione communis consensus, ut certissimum argumentum Theologo suppéditet ad veritates theologicas comprobandas. Sanè hoc mirabile est in Sanctissimæ Trinitatis Mysterij explanatione, omnium Sanctorum sensum Spiritus Sancti sensum ipsum esse. Nos verò, ut nostram Fidem erga adorandum Mysterium, & aliquamtulam nostram exercitationem in operibus M. P. N. Augustini perpendamus, sequentes propositiones, tanti Doctoris tutamine freti defendimus. 1.a Doctrinam traditam á M. P. N. Augustino in 15. libris, ad Aurelium Episcopum Ecclæ. Cartaginensis dicatis: in quibus de Trinitate profundissimè pertractat, *conformiorem esse Scripturæ,* Traditioni, Concilijs, & veterum Patrum *testimonijs. 2.a Falli Annatum & alios duos magni nominis & dig*nitatis Theologos asseverantes Mag. P.N. Augustinum contra Arium ad Sabel*lium*, & contra Sabellium ad Arium declinasse. 3.a Integrum librum ejusdem M. P.N. Augustini contra sermones Arianorum, ut genuinum & orthodoxum defendimus. 4.a Tres itidem libros ejusdem S. Doctoris contra Maximinum Arianorum Episcopum; similiter ut ortodoxos contra Berengarium tuèmur.

§. IV.

EX N. Lemosio in Panoplia gratiæ, & juxta mentem M. P. N. Augustini, lib. de Prædestinatione Sanctorum Cap. 3. deffendimus: Non posse hominem sine prævenienti Spiritus Sancti gratia assentíri Mysterio Sanctissimæ Trinitatis.

Publicum aderit certamen in hoc almo hujus Civitatis Gadicensis Cœnobio, SSmo. Rosario, & Sto. Dominico sacro: Preside R. P. Fr. JOANNE LOPEZ DE HERRERA, ibidèm Primariæ Cathedræ Theologiæ Moderatore, Supræmæ Regij Senatus Sanctæ generalis Inquisitionis Qualificatore, ac hujus Diœcesis Synodali Examinatore. Anno 1788.

GADIBUS: Ex Typographica Oficina D. EMMANUELIS XIMENEZ & CARREÑO. In Via Lata (vulgo) de la Xara.

44

08